

Heinrich Rudolph Redecker

**Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Rudolphus Redeker/ I.C. ac  
Pandectarum Professor Publ. ... Ad Exequias Quas ... Margaretae  
Kleinschmiedes Maritus eius nunc Viduus moestissimus Vir ... Dn. M. Georgius  
Nienhennck/ Scholae Oppidanae Rector optime meritus hodie ... paratas cupit,  
Omnes omnium ordinum cives Academicos peramanter invitat**

Rostochii: Kilius, 1676

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771555199>

Druck    Freier  Zugang



**Redeker, H.R.,**

**in M. Kleinschmied.**

**R. 1676.**







RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

# HEINRICUS RU- DOLPHUS Redeker/

J. C. ac Pandectarum Professor Publ.  
Consistorii item Ducalis Assessor,

AD EXEQUIAS

Quas

Matrona Honestissima.



# MARGARETÆ Kleinschmiedes

Maritus ejus nunc Viduus mœstissimus

Vir Clarissimus & Literatus

# DN.M. GEORGIUS Niehencf/

Scholæ Oppidanæ Rector optimè meritus  
hodiè hora dimid. secunda in templo mariano paratas cupit,  
Omnes omnium ordinum cives Academicos peramanter invitat.

---

ROSTOCHIÆ,

Typis hæred. JOHANNIS KILII Acad. Typogr. ANNO M. DC. LXXVI.

**A** Morem erga Mulieres apud Germanos priscitus vel nullum vel exiguum planè fuisse tūm ex C. Jul. Cæsare accuratè inspecto, tūm ex aliis abundè satis colligitur. Longè alia benè cor-  
datis mens est & sententia: qui post-  
eaquam Uxor honesta valedixit, non, ut illi, malo quo-  
piam se liberatos, aut beneficio affectos lātantur: sed  
parte Cordis plusquam dimidiā, vitæ adjutrice, cu-  
rarum expultrice, fortunarum defensatrice nō n sor-  
titò accepta, sed judicio sibi delectā orbatos cum fle-  
tu & singultu testantur. Quemadmodum enim ni-  
hil, Homero teste, in toto melius vel dulcissimorbe est: Una-  
nimes quam si studiis concordibus una Fæmina Virg, domo  
vivunt: Sic nihil contra in vitâ acerbius, nihil tristius  
accidere Conjugibus potest; quam si ab alterius sinu  
& complexu suavissimo violentiâ fati alter abstrah-  
atur. Mercator, cuius à funibus pendet felicitas, si  
navem omnis generis mercibus onustam veinaufra-  
gio periisse, vel in piratarum ac prædonum manibus  
venisse audit, ita sæpè angitur, ut animo totus con-  
cidat, capillos & barbam utraque manu vellat, fletu-  
que & lamentis omnia compleat. Nec minùs dolen-  
ter ferunt, qui vineas magnis sumptibus eolunt, ubi  
vites vel à rubigine exustas, vel ab articulatione cor-  
ruptas, vel à furibus excissas esse vident. Quo ergo  
modo ab animo suo, ne doleat, impetrabit Maritus,  
cum jacturam facit Uxor, & quidem bonæ ac virtuo-  
sæ,

sæ, quam gemmis & margaritis nobiliorem pretiosi-  
oremque Salomon pronunciat: quam cum navi o-  
nerariâ pretiosissimas ferente merces idem egregie  
comparat: quam cum vite generosa & fœcundâ Re-  
gias contendit Propheta. Quod si natura ita fert, ut  
Liberorum obitu angamur, Fratrum gravius feramus  
mortem, Amicorum discessu tristemur: quanto ma-  
gis lachrymas Marito exprimet Uxor decedens: quæ  
nec ita mutabilis, ut vulgus amicorum: nec ex eadem  
modò radice, ut Fratres: nec pars saltem aliqua pe-  
ctoris ut Liberi: sed caro & anima una, cordis dimi-  
dium. Antigone quidem apud Sophoclem & Inta-  
phernes apud Herodotum, optione sibifacta, Mari-  
tum, aut Fratrem, aut Liberos morti adjudicatos e-  
ximendi, Fratrem petiere eumque & Liberis & Ma-  
rito anteposuere. Verum contendere non dubito,  
Conjugalem flammat multo esse ferentiorem; re-  
cteque à Propertio scriptum: *Omnis amor magnus,*  
*sed aperto in conjugé major.* Nec putarim ullius vel di-  
fertissimi etiam Oratoris voce exprimi posse, quanta  
sit vis amoris conjugalis in duobus corporibus unum  
efficientis animum, qui eadem velit, eademque nolit;  
qui nec lætis aliundè se ostendentibus labefactetur,  
nec tristibus undecunque irruentibus distrahatur. Po-  
ëtæ, quibus familiare est sub involucro fabularum  
res magnas & cognitu non inutiles proponere, ut in  
imagine, quasi quadam ostenderent, quam suave  
quamque imperscrutabile sit consortium bonorum

& fidelium Conjugum in vita, & quam ingens defun-  
cti in superstite desiderium, finxerunt Orpheus, Mu-  
seum illum suavissimum ad inferos descendisse revo-  
candæ Uxoris Eurydices gratia, cuius obitum antè  
multis lachrymis deploraverat: siquidem *Ipsæ caro*  
*solans ægrum testudine amorem, Te dulcis Conjux, te solo*  
*in littore secum, Té veniente die, te decedente canebat.* Ti-  
berium Grachum, referunt Historici, cum Anguisbus  
domi suæ mare a fœminâ apprehensis certior factus  
esset ab Aruspice, mare dimisso uxori suæ; fœmina sibi  
celerem obitum instare: ut Conjugis Corneliae vi-  
tam sua sibi potiorem ostenderet, mare necari, fœ-  
minam dimitti jussisse, sustinuisseque in conspectu  
suo se ipsum interitu serpentis occidi. Idem, ut alia  
taceam, Admeti Thesalorum Regis Uxor Alcestis  
suo satis confirmavit exemplo. Cum enim à Diis Ad-  
metus obtinuissest, ut vicariâ alterius morte suam de-  
clinaret: Ubi dies fatalis advenit, nullus nec *Amico-  
rum*, nec *Liberorum*, nec *Fratrum* inventus est, qui id  
faceret; sola fuit Alcestis Uxor, quæ vitæ suæ dispen-  
dio Mariti vitam redemit. Quid mirum igitur, si quo  
ardentior inter Conuges fuit amoris flamma, hoc  
ferventiores dolorum ex separatione illorum in vidu-  
um animum immittuntur faces? Sentit has vel maxi-  
mè, Vir Clarissim⁹ ac Literatissimus Dn. M. GEORGIVS  
*NIEHENCK*, Scholæ oppidanæ Rector optime meri-  
tus, amicus noster dilectus, ex obitu Fœminæ matro-  
naliū rictutum conspicuæ *MARGARETÆ Klein-*  
*Schmidts /*

**schmieds** / Conjugis ita ipsi dilectæ, ut cupierit, si quo modo id fieri potuisset, annos sibi ad vivendum constitutos contribuere cum eâ & conferre. Ut namque eâ in matrimonium acceptâ cum gaudio Lacedæmoniorum illud ingeminabat. Bonum inveni; malum effugi: Ita eâdem è thalamo jam & consortio avulsâ, cum lachrymis exclamat: Bonum amisi, malum accepi. Cum itaque hujus egregiæ ac præstantissimæ Matronæ Funus nunc indicendum sit, merito, more sueto, quæ de ipsius natalibus, vita, morbo & beato ex hac miseriarii valli in cœlestem patriâ abitu accepimus, ita, prout nobis sunt oblata, verbotenus inferimus.

Defuncta in Domino MARGARETA Kleinschmied / nata anno salutaris epochæ MDC XXXII. die Margareta abs honestissimis Clarissimisque Parentibus. Pater ipsius fuit Vir Nobilis ac Consultissimus Dn. JOACHIMUS Kleinschmied / Consul Republicæ Rostochiensis summe meritus. Mater WENDULA Korffs / Matrona omnigenis sexum suum ornantibus virtutibus instructissima. Avus ejus Paternus fuit Dn. PFTRUS Kleinschmied / mercator & zythopœus hujus urbis spectatissimus olim. Avia Paterna fæmina lectissima ANNA Reimers / Avus Maternus extitit Vir Senatoria dignitate Clarissimus & Consul hujus Urbis Amplissimus DN. M. JOHANNES Korff / qui eruditione singulari & eximia prudentia suum condecoravit officium. Avia Materna fuit ANNA Krauels / Matrona virtutibus, sequiorem sexum commendantibus, ornataissima. Proavus Paternus erat JOHANNES Kleinschmied / Vir vite integritate famaque claritate laudatissimus, qui in civitate Provinciali Neuwenkahlen honestam egit vitam, eamque ibidem tranquille ac feliciter transegit. Defuncta Proavia Paterna Gesche Lessens fuit. Proavum Maternum salutavit JOHANNEM Krantz / & Proaviam Maternam ANNAM Köhlers / morum innocentia,

pis

piis omnibus commendatissimos. Ex hisce Parentibus cum prodüsset, sacro fonte abs labo purgata originali, nil quicquam intermissum ab illis est eorum, qua preclaræ ac virtuosæ Educationi factura esse crederentur. Quò factò moribus ac virtutibus ita evasit instructa, ut Pietate nil habuerit, per omnes vitæ dies, prius, nil antiquius. Nulla puellarum castitate ac devotione ipsa fuerit superior. Proinde tot tantiisque virtutibus captus, amoreque tam virtuosa allectus Virginis Dn. M. GEORGII Nienhenni / h. t. Scholæ oppidanæ Rector, cui laudata Tutorum consensu anno 1659. circa Michaelis Festum nupsit. Non verò prosperum modò, Deo secundante, hoc illorum fuit Conjugium, dum per sedecim, & quod excurrerit annos, stetit, sed & uirique secundum eluxit ac beatum. Quintus enim liberis, tribus filiabus, Catharina Elisabetha, Wendula Margareta, & Margareta Catharina, (quarum secundo, tertioque genite in tenerrima etate lucis orbate sunt usura) ac duobus filiis Henrico & Joachimo, cum natu maxima filia adhuc Dei gratia superstibis, ditati fuerunt. Ante XII. fere hebdomadas febre maligna puncticulari, ut dicitur, correpta, & per aliquot integras septimanas huic succumbens male lecto affixa habet. Ast verò resistuta, idque singulari Dei gratia præter omnium, quin ipsius Medicis spem ac opinionem, Elapsis autem V septimanis idem eam occupavit morbus, qui tanto citius defunctam oppressit, quanto acerbius ac vehementius corpusculum illius superius affixerat, quin confecerat plane.

Quamvis enim & primo morbi huius conflictu, & cum recidivam pateretur, illi curando mature satis & animæ & corporis adbibiti fuerint Medici; Anima adhibitus unicus ille Medicus Israelis JESUS CHRISTUS, dum, occupante illam primùm morbo, primum omnium veram ac seriam egit pœnitentiā, sacroque ē manu Confessionarii Dn. BERNHARDI MÜLLERI, Diaconi Mariani accepto viatico corporis ac sanguinis Jesu Christi, nil desideravit aliud, quam dissolvi & esse cum Christo; Corpori Vir Nobilissimus, Experiensissimus ac Excellentissimus Dn. JOHANNES JACOBUS DÖBELIUS

Med.D.

Med. D. & P. P. Civitatisque hujus Physicus; Vis tamen ac vobis  
mentia morbi omnem Medici exsuperavit & prudentiam & indu-  
strialiam, ita, ut nec consilio, nec auxilio, multo minus medicamens-  
tis, ut pretiosissimis, sic promte à B. defuncta admissis, tolli potue-  
rit, quin potius omnes Medicamentorum conatus anticipaverit, ac  
defuncta inter suspiria ac preces suorum animam exhalari, pla-  
cideque in Domino obdormiverit die 27. Junii post horam 3. matuti-  
nam, Etatis 44. exceptis 2. septimanis.

Merito equidem Iubentia pia Dominum vocantem secu-  
ta est; quippe quæ in tutum conclave se deductam & immi-  
nentibus calamitatibus subductam iriscivit & credidit: Verum  
Marito modestissimo, Liberisque mellitissimis acerbissimum sui  
desiderium reliquit: quibus si de recuperanda Conjuge at-  
que Matre vel tenuis saltem fulgeret spes, quos non pro eâ pe-  
riclitaturos casus ultimos, quas non decertaturos pugnas, li-  
cebit credere? sed cum se aliter habear res, neque humanæ  
opus sit revocare in vitam, quæ semel obierit; acquiescent  
Deo, & quæ mutari non possunt; leniter ferre; pietatem exi-  
stimabunt. Cumque recordabuntur, omnia fermè ardere  
bello & Christiano impleri sanguine, inque modum miserri-  
mum rapinis, incendiis, cædibus vastari; potius statuent,  
gratulandum ei, quæ de tantis malis evaserit, quam plan-  
gendam ac lugendam eam esse, quæ simul privari luce po-  
tuit, & illis liberari. Et certè, si piè defunctæ humana nunc  
voce loqui liceret, quæ relam illam, quam quotidiè ingemi-  
nari audimus, O DEUS, in quæ nos tempora reservasti, in Eucha-  
risticum pæna, O DEUS, quibus me malis eripiisti, mutan-  
tem audiremus. Sive enim nunc sub equo apocalypticō al-  
bo denotata pestis veniat, sive equus rufus bellonæ ferocis  
Mercurius prodeat, sive equus niger famis nuncius adsit, sive  
denique sequatur equus mortis pallidus, defuncta nostra eo-  
rum licet spumantium & ungulis terram quatientium soni-

tus

rus & insultus haut extimescit, mala nulla reformidat, sed  
cum Augusto Monarcha omnium potentissimo, nobis man-  
dat, ut se defuncta plaudamus, & risum tollamus, sicut in-  
mimorum fine fieri assolebat. Nostrum erit, Cives Aca-  
demici omnium ordinum honoratissimi, quamvis Seneca ju-  
dicet, humanius esse deridere vitam quam deplorare, condo-  
lere dolentibus & circa hoc funus tanta confluere frequentia,  
ut abundè constare possit de Christiano & peculiari nostro in  
piè defunctam & mœstissimum Viduum affectu: Cogitemus  
interea, militiam esse nostram vitam, esse servitium, esse ca-  
ptivitatem, ubi alium honores, alium opes vinciunt, quos-  
dam nobilitas, quosdam humanitas premit: quibusdam  
aliena imperia supra caput sunt, quibusdam sua. Cogite-  
mus è contra mortem esse rem pretiosissimam, victoriæ con-  
summationem, finem laborum, ad præfectam libertatem ja-  
nuam; adeoque concludamus, non ad Diomedis & Glauci  
permutationem, vitam cum morte, sed mortem cum vitâ  
commutasse nostram immaturiùs denatam MARGA-  
RITAM KLEINSCHMIDIAM,

P. P. Sub Sigill. Rect. 30. Junij  
Anno 1676.












Med. D. & P. P. Civitatisque hujus Physicus  
mentia morbi omnem Medici exsuperavit C  
striaam, ita, ut nec consilio, nec auxilio, mul  
tis, ut pretiosissimis, sic promte à B. defuncta  
rit, quin potius omnes Medicamentorum con  
defuncta inter suspiria ac preces suorum ani  
cideque in Domino obdormiverit die 27. Junii  
nam, Etatis 44. exceptis 2. septimanis.

Merito equidem Iubentia pia Domin  
ta est; quippe quæ in tutum conclave se  
nentibus calamitatibus subductam iriscivit  
Marito mœstissimo, Liberisque mellitissim  
desiderium reliquit: quibus si de recuper  
que Matre vel tenuis saltē fulgeret spes,  
rictituros casus ultimos, quas non dece  
cebit credere? sed cum se aliter habear  
opus sit revocare in vitam, quæ semel o  
Deo, & quæ mutari non possunt, leniter f  
stimabunt. Cumque recordabuntur, o  
bello & Christiano impleri sanguine, inq  
uum rapihis, incendiis, cædibus vastari  
gratulandum ei, quæ de tantis mœlis ev  
gendarum ac lugendarum eam esse, quæ sim  
tuit, & illis liberari. Et certè, si piè defun  
voce loqui liceret, quærelam illam, quar  
nari audimus, O DEUS, in qua nos tempora  
risticum pœana, O DEUS, quibus me mal  
tem audiremus. Sive enim nunc subeq  
bo denotata pestis veniat, sive equus ruf  
Mercurius prodeat, sive equus niger famis  
denique sequatur equus mortis pallidus,  
rum licet spumantium & ungulis terran



pace vebet  
& indu  
ticamen  
lli potue  
verit, ac  
rit, pla  
matuti  
em secu  
z immi  
Verum  
um lui  
juge at  
o eā pe  
nas, li  
umanæ  
iescent  
em exi  
ardere  
miserr  
ituent,  
r plan  
ice po  
ra nunc  
ngemi  
Eucha  
nutan  
trico al  
feroci  
sit, sive  
stra eo  
m soni  
tus